



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117867**

§. 24. Fœdera cum Bulgaris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

gisset, in horrida caverna solo pane & aqua victitans, se inclusit. Sæculum IX.  
A. C. 844.

Duodecim annis procul ab omni hominum societate exactis Joannicius Monasterium *Erusti* ingressus habitum induit. Prophetiæ Dono præditus erat, & multa ab eo patrata miracula referuntur. Fama Viri Sancti ad extremas Imperii provincias pervasit, ejusdemque maxima existimatio & auctoritas Catholicos tempore, quo Leo Armenus & Michael Balbus Ecclesiam persecuti sunt, plurimum juvit. Pace Ecclesiæ reddita, & Theodora Imperatrice ad clavum Imperii sedente, Joannicius in ultima senectute in parva cella Monasterii montis Antidis se abdidit.

§. XXIV.

*Fœdera cum Bulgaris.*

Theodora Imperatrix fœderibus, cum Bogori Bulgarorum Principe prius in-  
initis, confirmatis sororem ei reddidit suam, captivam, petiitque vicissim reddi sibi Monachum, cognomento *Cupbaram*, diu ante a Bulgaris captum. Bogoris vero soror, in Regia Constantino-  
politana captiva, Religionem Christianam sincere amplexa, litteras quoque didicerat, atque veræ fidei, in qua solide fuerat erudita, nihil præferebat. In patriam ergo reversa fratrem hortari non  
*Hist. Eccles. Tom. XI.*      D d      cessa-

Sæculum IX. cessabat, ut ad Fidem converteretur, ce-  
A. C. 844. jus prima principia jam ante ex Theodo-  
 ri Monachi sermonibus hauserat. Et ipse  
 quidem antiquæ superstitioni ad extre-  
 mum inhæsit; at jacta fidei semina suo  
 tempore fructus dederunt.

## §. XXV.

*Paulicianorum Seditio.*

*Petr. Sic.*  
*p. 70.*

*Sup. lib.*  
*XLVI. §.*  
*54.*

*v. Cedr. to. I.*  
*p. 433.*

Imperatrix, rebus cum Bulgaris ita com-  
 positis, ad convertendos Paulicianos  
 seu Manichæos Armeniæ, vel certe de-  
 lendos, si flecti non possent, animum  
 adjecit. Illos Imperator Michael Curo-  
 palata, ut diximus, persecutus fuerat,  
 & Leo Armenus ejus Successor multos,  
 nimirum illos omnes, qui in Provinciis  
 Romano Imperio subditis degebant, nec-  
 cari jusserat. Hæc mandata usque in  
 Armeniam ad Thomam Episcopum Neo-  
 cæsariensem & Paracondatium Exarchum  
 pervenerant, qui Sectæ illius principes  
 interfecerunt. Postea vero Exarchus a  
 quibusdam Sergii Discipulis, quos græ-  
 ce *Astates*, id est, vagabundos nomina-  
 bant, insidiis capitur & jugulatur, dum  
 interim ab aliis, quos *Cynochorites*, id  
 est, Canes rurales vocabant, Metropoli-  
 ta perimitur. Peracto facinore Vaga-  
 bundi Melitinam in Armenia effugiunt,  
 ubi indulgente Saracenorum Præfecto in  
 loco *Argous* dicto sedem figunt, & Vaga-  
 bundi